

triumphis assuetus, atque felici gentis fortuna elatus, dum subacta Cypro exultaret, nunquam sibi in animum induxerat, fieri posse, ut medio victoriæ cursu destitutus ingentem adeo casum subiret, quo momento maritimis viribus, præpotentique classe, quæ mari imperitatura videbatur, exueretur. Itaque statim Byzantium convolat, omnia pavore ac desperatione permixta offendit: quid eo rerum statu agendum sit, consulit: ad maritimos præfectos literas dat; oppidorum custodiæ sedulo operam navent: Uluzzalium e prælio cum paucis triremibus revertentem opperitur: nuntium improperi eventus sui regni præfectis significat; finitimis quoque Principibus literas adjicit, quibus, ut mos gentis est, acceptam cladem imminuit, nonnullas tantum ex suis triremes ab hostibus captas, atque profligatas esse affirmat. Dein ad novam classem comparandam animum convertit: vetera navigia farciri, alia exædificari, cædi ligna, comportari materiam jubet; ut ni æquo Marte cum hoste dimicare, salutem immensi prope imperii vires ostentare in sequentem annum queat. Uluzzalio maritimum imperium committitur: in eo Ottomanorum Regum salutem, ac dignitatem sitam esse perhonorificis significationibus Selymus testatur. In ea incredibili omnium rerum consternatione cum summopere vererentur, ne victoria sublati fœderatorum animi, nullo obfistente, Byzantium, imperii caput, iter intenderent, iis præfertim, quæ undique variis rumoribus afferebantur, perculsi, intentiore cura castella ad Hellespontum sita custodiri, tormenta expediri imperant; equitatum e Peloponneso, atque finitimis regionibus evocant. Hæc Byzantii gerebantur..

Senatus autem non tam ob victoriam latus, quam rerum in posterum gerendarum sollicitus, dies noctesque de obterendo hoste, de amissis recuperandis, de Epiroticis, Peloponnesiis, ac Græcis ad deditionem concitandis, de fœderis viribus augendis, de reliquis christianis Principibus eodem societatis nexu vinciendis consilia agitabat. Quis enim crederet, præclara ejusmodi oblata occasione, veterno discusso, cunctos Europæ Principes non infurrecturos, ut hostem, Christianorum spoliis ditatum, edito fastigio, ex quo reliquos Reges ac Principes intolerando fastu atque superbia despiceret,

*Selymus
ad classem
novam com-
parandam
incumbit.
Uluzzalio
classis
imp. à Se-
lymo com-
mittitur.*

*Venero-
rumpest vi-
etoriam
consilia.*

de-